

7407
DISPUTATIO

De

1619

23

LOCATIONE CONDUCTIONE ET EMPHYTEUSI SEPTIMA.

Quam,

Adspirante Numinis Divini Gratia

Consensu Amplissimi & Ctorum ordinis in florentissima
VVittebergensum Academia

PRÆSIDE

BALTHASARE à BRUNNEN.

pro virili tuebitur

BALTHASAR FRIDERIGUS Ratte

Nob. Saxo.

Horis & loco consuetis

ad

diem 19. Junij.

WITTEBERGÆ

Ex Officina Typographicâ Iohannis Matthæi.

ANNO M. DC. XIX.

VIRIS.

STRENUIS
SPLENDORE GENERIS
ERUDITIONE
AUTORITATE.

Ac

VIRTUTIBUS HEROICIS
NOBILISSIMIS

Dn. MELCIORI Ratten

Hereditario in Dieritz &c. Patri suo ex filiali conde
& debitâ observantiâ hono-
rando.

UT ET

Dn. HEINRICO CHRISTOPHORO Ratten

Hereditario in Wüest. Reverendiss. Celsiss. ac Illu-
striss. Dn. Administratoris Archiepiscopatus Magdæbur-
gici, Coadjutoris Episcopatus Halberstadiensis &c.
consiliario dignissimo

Patrueli & sautori suo perpetuum colendo

Hacce Juris Civilis primitias
ex debito offert & dedicat.

Balthasar Friderich Ratté
Respondens.

IN NOMINE DOMI-
NI NOSTRI JESU
CHRISTI.

THESES I.

Dictum est de emptione & ven-
ditione.: Quoniam verò emptioni & ven-
ditioni locatio & conductio proxima est,
ijsdemque juris regulis consistit princ. Inst.
de locat. & conduct. Ideo nunc de locatione
& conductione, & simul etiam de emphy-
reusi ob maximam similitudinem & fami-
liaritatem, quam cum locatione & conductione habet, ut
agamus ordo postulat.

II.

Est autem locatio-conductio contractus iurisgentium
nominatus b.f. solo consensu celebratus, quo rei alicujus usus
vel fructus aut personæ factum certa aliqua mercede statim
constituta conceditur.

III.

Quod locatio-conductio sit contractus nominatus iurisgen-
tium b.f. probatur per lex hoc iure 5. ff. de 1. & 1. l 1. ff. locat. l iurisgen-
tium 7. §. 1. ff. de pact. l 1. §. item emptio 2. ff. de rer. permut. §. actionum
28. Inst. de action. l cum renderem 27. ff. locat.

IV.

Additur in definitione, Solo consensu celebratus. Quando-
quidem locatio ad sui perfectionem neque rei traditionem
neque verba, neque literas desiderat d.l 1. ff. loc. l qui ad certum i 4.

A 2

ff. eod.

ff. eod. t. t. Inst. de oblig. ex consensu l. contractus 24. C. de loc. & cond. l. 2.
ff. de O. & A.

V.

Adjicitur: Quo alicuius rei usus vel fructus aut factum persona.
Hæc enim omnia possunt locari: Usus in domo, fructus in
fundo, factum vel operæ in homine l. si tibi habitationem 5. l. si
quis domum 9. in princ. l. si merces 25. §. qui fundum i. l. ex conducto 15.
§. cum quidam 5. l. si in lege 24. §. colonus 4. l. si fundus 33. l. item queri-
tur 13. §. si navicularius 1. & seqq. l. in operis 26. l. qui operas 38. ff. locat. l.
nemo 6. C de loc. & conduct.

VI.

Subditur: certa aliqua mercede. Quoniam sine certa mer-
cede locatio non potest contrahil. l. si vir uxori 52. in princ. ff. de
donat. int. vir. & uxor. l. licet 8. C de locat. & cond. l. sicut emptio 20. §. i. l.
& hæc distinctio 35. §. cum fundum i. ff. locatil. si convenerit 23. ff. comm.
divid.

VII.

Tandem subjungitur: statim constituta. Quando enim in
futurum contrahentium arbitrium merces confertur, non est
locatio & conductio, sed contractus innominatus §. & que i.
Inst. de loc. & cond. l. si tibi 22. ff. de prescript. verb.. Boc. in comment. ad l.
contractus 23. ff. de R. I. c 4. n. 92.

VIII.

Manifestum ergo evadit ex tradita definitione, ad simi-
litudinem emptionis. venditionis in hoc quoque contractu
tria necessaria esse, consensum nimirum rem & mercudem.
Non requiritur autem semper expressus consensus, sed etiam
interdum tacitus sufficit: veluti si sine tractatu habitu condu-
ctor in re sibi locata tempore conductionis impleto sive elas-
pso, domino non reluctante persistat: tunc enim tacite vide-
tur renovata locatio-conductio & quasi ex integro facta ea-
dem penfione & ijsdem pignoribus, non tamen ijsdem fide-
jussoribus l. item queritur 13. §. qui impleto ii. cum l. seq. ff. loc. l legem
16. C de loc. & cond. & ibi Gothof. in not. Renovata, dicimus, in præ-
dijs quidem urbanis, prout conductor ante habitavit, in rusti-
cis autem non in idem tempus: Puta si prius quis horreum
conduxis-

2.
12.
in
l fi
15.
eri-
ut. l

er-
. de
§.1.l
nm.

n in
n est
ia 1.
adl

imi-
actu
em.
tiam
ndu-
ela-
vide-
a ea-
fide-
legem
præ-
rusti-
reum
duxis-

conduxisset in quinquennium, non videtur ex patientia con-
ductio renovata in aliud quinquennium, sed in futurum tan-
tum annum Vult.ad print.Inst.de loc.& conduct.n. 12. & Harp.n. 17.
& seqq.

IX.

Unde oritur quæstio dubia: Si quis vendiderit agrum
cum pacto redimendi intra quinquennium & ad id tempus
illum conduxerit, deinde finito tempore in conductione
manserit; utrum tempus redimendi prorogatum esse cense-
atur? Et verius est locationem quidem renovatam videri, non
autem pactum redimendi per leum qui § 6. S. qui ita 4. ff. de V. O.
Harp.d.l n. 21. Fachin.lib. 1. cont.c. 83.

X.

Quod rem concernit, sciendum est, quod rei appellatio
hoc loco latè accipienda sit, ut non tantum res mobiles &
immobiles, corporales & incorporales, sive sint propriæ sive
alienæ, sed etiam factum complectatur. Nam factum quoque
sive operas locari posse constat ex fundamentis in θ. 5. allegatis.

XI.

Sed quando factum locatur, queritur, quis locator, quis
conductor censeatur? Nos non attentis aliorum opinioni-
bus, de quibus videatur Cujat. Robert. Borchold. Vult. Olemannus
Donec locis ab Harp.ad princ. Inst.de loc.& conduct.n. 15. allegatus, sta-
tuimus cum Bocer. in comm. ad l contractus 23. ff. de R.I. n. 94. eum
esse locatorēm, qui inchoat contractum seque alij prius ultrò
offert, conductorem cui quid faciendum aliquis ultrò offert,
& qui offerentis placitum suscipit.

XII.

Sanè servitutes prædiales per se locari non possunt nisi
cum fundo l locare 44. ff. locat. & ibi VVes. in w. n. 5. l. si is 11. §. ult. ff.
de pign. & hypoth. l 1. § 1. ff. comm. prædior. At personales Servitutes
locari posse certum est §. 1. Inst. de usu & habit. l si quis 9. §. 1. ff. lo-
cat. l arboribus 12. §. usufructarius 2. ff. de usufructu Harp. ad princ. Inst.
de loc. & cond. n. 28.

XIII.

Feudum quoque locari posse, modò locatio non sit

A 3 fraudu-

fraudulenta constat ex tit. 9. §. donare 1. lib. 2. F. Ratio est, quoniam per locationem neque dominium, neque possessio transfertur *l* non solet 39. ff. locati *l* si quis 10. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. poss. nec vasallus servitijs obeundis locando redditur inidoneor, cum mercede ex locatione redacta perinde quasi rem ipsam habeat, domino intervire possit Arum. disp. feud. 7. 8. Et quavis Zaf. in epit. feud. part. 9. n. 20. Vult. lib. 1. de feud. c. 10. n. 48. & alij ab ipso allegati. distinguendum putent inter locationem ad modicum tempus factam, & inter eam quae sit ad longum aliquod tempus, puta 10. vel plures annos, ut haec non valeat, illa vero subsistat. Locationem tamen indistincte valere & subsistere probat d. tit. 9. §. donare lib. 2. F. qui loquitur generaliter, neq. ad hoc, ut locatio valeat, aliud quippiam requirit, quam ut non sit fraudulenta Rittershus. in partit. feudal. lib. 2. c. 3. q. 36.

XIV.

Re eadem duobus locata & posteriori tradita, queritur, inter sit preferendus? Putamus eum preferendum esse, qui primum rem conductit, quoniam duo isti conductores parius habent in re conducta, & ideo conditio eius est potior, qui tempore prior est per text. in l. in operis 26. ff. locat. Heig. par. 1. q. 14. n. 52.

XV.

Sed potest ne conductor rem conductam alij locare? Affirmatur per text. expres. in l. nemo 6. C de loc. & cond. modo tamen alteri aequè idoneo & ad eundem usum locet.

XVI.

Tandem ad substantiam hujus contractus requiritur merces per fundamenta in 8. 6. adducta: Quae alias etiam pretium ad similitudinem emptionis, item pensio vel redactus dicitur Vult. ad princ. Inst. de loc. & cond. n. 16. & seq.

XVII.

Merces autem illa debet esse certa. Nam quando alii res locatur non pro certa sed justa pensione, non erit locatio & conductio, sed contractus innominatus, uti constat ex 8. 6. 67.

6. & 7. Potest verò pensio vel merces certificari vel expresse ab ipso locatore vel alia aliqua certa persona, in cuius arbitrii mercedis declaratio collata fuit, modò tamen is mercedem certam definiat: Nam si vel nolit vel non possit mercedem definire, pro nihilo est conductio quasi nulla mercede constituta l*si merces 25. in princ. ff. locat.*

XVIII.

Mercedis quoque certitudo determinari potest per relationem ad alium aliquem actum præcedentem factam. Unde si res aliqua pro certa mercede solita sit locari, valet locatio eius, quamvis contrahentes non faciant mercedis mentionem.

XIX.

Quæritur ergo, si quis famulum ad annum conduceat certa mercede, & isto finito eum dimittat, post biennium autem iterum conduceat nulla facta certæ mercedis mentione, an locatio illa valeat, Affirmativè respondemus per text. in l*in his rebus 66. §. uxori s. ff. sol. matrim.*

XX.

Occurrit h̄ic dñique quæstio intricata: An merces in contractu locationis & conductionis semper in pecunia numerata consistere debeat? Veriorem esse sententiam affirmativam putamus per ea que tradunt Clarissimus Dn. Forsterus in tractat. Iustin. disp. 18. θ. 8. par. 1. Arum. exero. 14. θ. 10. Fachin. lib. 1. controv. 1. 82. Donel. lib. 13. comm. c. 6. in fin. & ibi Hillig. lit. 1 & Dd. comm. Diff. Harp. ad §. præterea 2. Inst. de loc. & conduct. n. 3. & multi ab ipso allegati.

XXI.

Naturalia contractus locationis-conductionis sunt I. Quod in eo veniunt dolus lata & levis culpa, quoniam hic contractus fit utriusque gratia. Constat autem ex l*si ut certo s. §. nunc videndum ff. commod.* in contractibus qui utriusque gratia celebrantur dolum latam & levem culpam esse præstandam. Casus fortuitus à conductore non præstatur §. conductor s. Inst. de loc. & cond. l*contractus 23. ff. de R.* I. quemadmodum nec culpa levissima per d. l s. §. nunc videndum ff. commod.. §. ult. Inst. quib, mod. re cont. oblig.

Hænon.

Hænon. disp. 16. §. 22. Clarissimus Dn. Forsterus in tract. Iustin. disp. 18.
§. 12. par. i. Vult. discept. scholast. 15. Bronch. cent. 2. assert. 33. Bocer. ad l
contractus 23. ff. de R. J. c. 4. n. 97. Schneidvv. & Harp. ad §. conductor 5.
Inst. de locat. & cond. n. 8.

XXII.

II. Quod conductor finito anno locationis ad solutionem
mercedis est obligatus, nisi loci consuetudine aliud receptum
sit l. §. si pensio 4. ff. de migrando l. semper in stipulationibus 34. ff. de R.
I. Harp. ad princ. Inst. de locat. & cond. n. 42. Sichard. in l. 3. C de loc. &
cond. n. 5.

XXIII.

III. Quod locatori rei locatæ refectio incumbit l. dominus 55.
§. 1. l. cum in plures 6. in princ. & l. seq. in princ. ff. locati.

XXIV.

IV. Quod locator ante tempus locationis finitum conductorem non potest expellere: nisi rem istam conductam corrigeret aut proprijs usibus necessariam esse probet l. aede 3. C de loc. & cond. Quo tamen casu remissio mercedis pro rata temporis facienda est.

XXV.

Hinc queritur, si pactum intervenisset de non expellendo, an locator domo vel re conducta indigens nihilo minus conductorem expellere possit? Negatur per l. quæro 54. §. inter. l. ff. locati.

XXVI.

Quando conductor in re conducta malè versatus fuit, tunc quoque eum expellendi iustam causam locator habet: Veluti si arbores fructiferas succiderit per text. in l. si merces 25. §. ipse quoq. 5. ff. locat. l. in fraudem 45. §. conductor 13. ff. de iur. fisc. l. aede 3. C de locat. & cond. Garf. in tract. de expens. & meliorat. c. 14. n. 24.

XXVII.

V. Quod conductor rem conductam non potest deserere & ab hoc contractu invito locatore recedere nisi integrum pensionem persolvere velit l. si in lege 24. §. si domus 2. ff. locat. Quid verò si conductor antefinitum locationis tempus domum conductam deserat, & locator eam alteri locet, poteritnè etiam hoc casu à primo conductore totius temporis mercedem petere?

petete? Veriorem & æquiorem censemus negativam per l. sed
addes 19. §. cum quidam 9. & l. Dominus 55. §. fin. ff. locat.

XXVIII.

Quod dictum est, conductorem rem conductam ante,
finitum tempus deserere non posse, non obtinet si habeat iu-
stam deferendi causam veluti timorem pestis, ruinæ, ignis vel
spectorū l. si ea lege 24. §. si dominus 2. l. dominus. 55. §. ult. l. si quis 9. §. l. l
item queritur 13. §. exercitu 7. l. ex conducto 15. §. ubicung 7. l. habita-
tores 27. §. l. insulam 30. §. l. ff. locat. Gail. lib. 2. observ. 23. n. 6. & seq.

XXIX.

Locum item non habet, quando conductor in usu rei
locatæ locatoris facto impeditus fuerit, aut locator pacta quæ
intercesserunt, servare recusat l. ex conducto 15. §. l. l. si in lege 24. §.
colonis 4. ff. locat. In prīmis quando intuitu horum pactorum
contractus celebratus fuerit l. cum te 6. C de pact. inter empt. &
vend. Ante discessum tamen conductor illud denunciaretur
netur locatori, si denunciandi copia ei detur, alias ad interesse
ratione damni dati tenetur per tex. expres. in l. item queritur 13.
§. exercitu 7. ff. locat.

XXX.

Porrò quamvis colonus modicum damnum æquo ani-
mo ferre teneatur: maximum tamen illud, quod dimidium
iusti pretij excedit, pati de iure non cogitur per text. clarum in l.
ex conducto 15. §. ubicunque 7. l. si merces 25. §. vis major 6 ff. locat. Istud
autem damnum, quia fundamentum eius intentionis est,
conductor probare tenetur l. actor C de probat. l. ei qui dicit ff.
eod.

XXXI.

Hoc verò intelligendum est de eo damno, quod oritur
ex vitio extra rem. Nam si ex re ipsa sterilitas contingit
vel secundum loci consuetudinem, tunc petitio remissio-
nis mercedis locum non habet. Sic quoque remissio lo-
cum non habet, si quis scienter domum ruinosam con-
duxerit Gail. lib. 2. obs. 29. n. 10. & obs. 23. n. 6. Item si quis
tempore belli fundum conducterit, ex quo postea
fructus à militibus impeditus percipere non potuit.

B

Jdem

Idem dicendum est, si uno anno' quis remissionem colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigit uertas; tunc enim nihil obest domino remissio, sed integrum pensionem etiam eius anni, quo remisit, exigere potest l ex conducto 15. §. Papinianus 4. ff. locat.

XXXII.

An autem conductori, qui ob grassantem pestem, metum incendij, damni infecti, impetum hostilem & similes justas & probabiles causas è domo conducta discedere coactus sit, facienda sit remissio mercedis sàpiùs quæri solet? Affirmatur per. tex. in l habitatores §. 1. & l dominus horreorum 55. §. 2. ff. locat.

XXXIII.

Oritur ex hoc contractu duplex actio, actio locati & actio conducti. Actio locati locatori eiusque heredibus aduersus conductorem eiusque heredes competit princ. Inst. de loc. & cond. l viam veritatis 10. l si hi qui 14. l. cum conductorum 29. C de loc. & cond. ad hoc maximè, tum ut merces una cum uluris post moram solvatur l quero 54. ff. locat. l præses 17. C eod. l. mora 32. §. in bonâ 2. & l videamus 38. §. & quidem 1. ff. de usur. tum ut tempore locationis finito res ipsa locata reddatur non deterior, vel detior facta reficiatur l videamus 2. §. item 2. ff. locat. l. cum conductorum 29. C eod. atque adeo omnia damna, quæ culpa conductoris in re locata data sunt, resarciantur si quis domum 9. §. si colamus 3. l videamus 11. §. si hoc i. l. merces 25. §. conductor 3 cum §. seq. l si vulneraverit 43. & l cum in plures 60. §. servum 7. ff. locat.

XXXIV.

Quæritur hoc loco non inconnne: Num equus in dubio præsumatur esse mortuus conductoris culpa, an vero morte naturali sicque casu fortuito? Et secundum Harp. ad princ. Inst. de loc. & conduct. n. 40. comm. Dd. conclusio est, quod equus morte naturali interiisse præsumatur atque ita locatori probatio incumbat, equum, quem locavit, conductoris culpa mortuum fuisse; vel quod majus pondus, quam equus sustinere posset, ipsi imposuerit, vel quod ad alium usum, quam ad quem conduxerat, equum applicuerit, vel quod in itinere il-

lum

lum fatigaverit & plus, quam par est & iusta ratio postulat, illum laborare compulerit.

XXXV.

Quod si pluribus studiosis habitatio locata sit, & unus eorum non soluta rata mercedis parte illam deserat, locatio aduersus coeteros ad integræ pensionis exactionem non competit, sed unus quisque tenetur pro sua parte tantum.
Harp. d. In 44.

XXXVI.

Actio conducti datur conductori eiusque heredibus aduersus locatorem eiusque heredes, ad hoc potissimum, ut sibi re conducta uti licet & ut ea reficiatur l. 15. in princ. & §. 1. ff. loc. l. sed addes 19. §. ex. conducto l. habitatores 27. ff. locati.

XXXVII.

Potest etiam conductor hac actione impensas tam utilles quam necessarias in rem locatam factas consequi, quamvis ob suam culpam expulsus sit l. dominus horreorum ss. §. 1. l. cum in plures 60. cum l. seq. in princ. ff. loc. Harp. ad princ. Inst. de loc. & cond. n. 71. Gars. in tract. de expens. & meliorat. c. 14. n. 10. 13. & 14.

XXXVIII.

Quæritur hoc loco; Si Doctor seu Professor propter pessim in loco grassantem vel similem causam aduersam non per totum annum legat, sed tantum in principio, an nihilominus integrum totius anni salarium petere possit? Affirmativa humanior & juri magis consentanea est per ea quæ tradit. Harp. ad princ. inst. de loc. & conduction. n. 46. ubi n. 48. idem rectè quoque affimat de servis aut famulis, qui morbo aliavè justa causa impediti operas suas præstare non potuerunt.

XXXIX.

Succedit nunc Emphyteusis dicta αγορα τε ομφυτευειν, quod est inserere atque implantare & per translationem meliorare, quoniam per implantationem agri meliores redduntur VVes. in τε ff. si ager vectig. vel Emphyt. n. 3. Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. n. 1. & definitur, quod sit contractus juris civilis nominatus b. f. solo consensu initus, quo res immobilis alicui intendenda fruenda conceditur hac lege, ut eam meliorem reddat

B 2

& in

& in dominij recognitionem domino proprietatis annum
canonem persolvat.

XL.

Generis loco verbum *contractus* recte ponitur: Constat enim ex §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. l. I. & 2. C de iur. emphyt. quod emphyteus sit contractus & à reliquis omnibus hodie Jmp. Zenonis constitutione distinctus Harp. d. l n. 4.

XLI.

Dicitur in definitione *contractus iuris civilis*: Quoniam formam suam ex constitutione civili népe Imperatoris Zenonis accepit §. adeo 3. Inst. de loc. & cōd. l. I. & 2. C de iur. emphyt. A quo iure autem formam contractus habet, eidem quoque ratione originis ascribendus est, siquidem forma dat esse & originem rei Clarissimus Dn. Forsterus in tract. Iust. disp. 18. θ. 9. par. 1. Hoen. disp. 1. θ. 14. Dn. Hunn. variar. resolut. iur. civ. lib. 3. tract. 7. par. 2. q. 9. Diff. Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. n. 14. & seqq. cum multis allegatus.

XLII.

Additur in definitione *nominatus*: Quoniam proprium certum & speciale nomen habet ab alijs contractibus separatum §. adeo 3. Inst. de locat. & cond. & l. I. C de iur. emphyt. Harp. d. l. n. 29. VVes. in ὥ. ff. si ager vectig. vel emphyt. n. 3.

XLIII.

Dicitur in definitione, *emphyteus est contractus b. f.* Quoniam olim sive emptio sive locatio esset, erat b. f. E. adhuc hodiè Clarissimus Dn. Forsterus d. l. θ. 10. Don. in §. actionum 28. Inst. de action. n. 39. Arum. exer. 14. θ. 13.

XLVI.

Adjicitur in definitione, *solo consensu initus*. Unde concluditur, quod ad substantiam huius contractus scriptura non requiratur. I. Quoniam quod lex non dicit, neque à nobis asserendum est, quippe cum erubescamus sine lege loqui Nov. 18. c. 5. l. fin. C. unde vi. Etsi verò negari non potest, in omnibus tribus legibus C de iur. emphyt. fieri mentionem scripturæ & instrumenti emphiteutici: Nulla tamen earum expresse dicit.

dicit, de necessitate contractus esse scripturam adeo ut absque ea non subsistat emphyteusis. II. Quoniam si de necessitate ad contractū emphyteuticum requireretur scriptura, consequens esset fortuito scripturæ interitu rei veritatem convelli, quod iniquum & absonum est l. sicut s. l. emancipatione 11. C de fide instrum. III. Quoniam argumentum à feudo ad emphyteusin procedit, uti probant Schrad. in tract. feud. par. 7. 6. 5. n. 51. & Everhard. in loco ab emphyt. ad feud. Sed in contractu feudali non est necessaria scriptura tit. 2. lib. 2. F. E. nec in Emphyteusi. Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. n. 52. & seqq. ubi multos autores pro hac & contraria sententia allegat. Amplissimus & excellentissimus Dn. Hirselbachius Praeceptor & promotor honorandus in tract. de iur. emphyt. quem Anno 1614. publicè prælegit, ubi hanc quæstionem elegantibus fundamentis confirmavit & contra-ria refutavit.

XLV.

Sequitur in definitione, quo res immobilis. Quoniam hic contractus locum habet tantummodo in rebus soli seu immobilibus per textus ab Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. n. 79. allegatos.

LXVI.

Tandem annexuntur hæc verba, & in dominij recognitionem domino proprietatis annum canonem persolvat. Nam iste canon qui annuatim solvit, non solvit propter rei usum, sed propter dominij recognitionem. Vult. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. n. 14.

XLVII.

Dividitur emphyteufis in civilem sive secularem & Ecclesiasticam. Civilis est, quando princeps civitas collegium vel privatus aliquis rem suam in emphyteusin concedit. Ecclesiastica est, quando res Ecclesiæ aliarumque domuum venerabilium ab Oeconomo vel prałato causa cognita etiam laico in emphyteusin dantur. Vide Harp. d. n. 105. & seq.

B

XLVIII. Ultra-

XLVIII.

Utraque vel ad certum tempus vel in perpetuum con-
stitui potest l. ult. ff. si ager rectig. Nov. 120. c. 6. §. 1. §. adeo 3. Inst. de loc.
& cond. Treutl. vol. 1. disp. 29. §. 9. lit. K.

XLIX.

Differunt emphyteusis Ecclesiastica & civilis 1. in eo,
quod illa in solo Ecclesiaz, hæc verò in quocunque etiam alio
alicujus privati conceditur Treutl. d. I. lit. 1. 2. quod in emphy-
teusi Ecclesiastica, si canon biennio non fuerit solutus, em-
phyteuticarius à domino expelli potest Nov. 7. c. 3. §. scire autem
2 In emphyteusi autem civili requiritur triennium l. 2. C. de jur.
emphyt. d. Nov. 7. c. 3. §. scire autem 2.

L.

An autem ipso jure, an verò per sententiam propter
non solutum Canonem emphyteuta re emphyteutica prive-
tur, dubium est? Prius nobis videtur verius, si modo certum
& in confessu sit illum in solutione cessasse arg. l. 2. C. de jur.
emphyt. Nov. 7. c. 3. §. scire autem 2. Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond.
n. 496. Fachin. lib. 1. cont. c. 94. Arum. exerc. 14. §. 15. Sichard. ad l. 2. C. de
jur. emphyt. n. 19.

LI.

Quamvis verò emphyteuta, ut dictum est, ob non solu-
tum canonem legitimo tempore emphyteusi ipso iure prive-
tur: Dominus tamen illum propria autoritate expellere non
potest, quoniam non est singulis concedendum, quod per
Magistratū publicè fieri debet, ne sit occasio majoris tumultus
faciendi l. non est singulis 176. ff. de R. f. Harp. d. l. n. 500. & seqq. Fachin.
lib. 1. cont. c. 95. Menoch. remed. 1. recuper. poss. n. 78. & seq. ubi plures
variè sentientes allegat.

LII.

Præter motas adhuc variæ & elegantes quæstiones cir-
ca materiam emphyteuseos moveri solent, ut appareat ex tra-
ditis ab Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & conduct. quas hic at-
tingere ratio instituti nostri non permittit. Unicam saltem ex
illis mœvebimus: An scilicet Emphyteuta sine domini con-
sensu emphyteusin donare possit? Negativam defendunt Hæn.
disp. 6.

disp. 6. §. 19. Fachin. lib. 3. cont. c. 97. & lib. 6. cont. c. 98. Sichard. ad l. 3. C de
iur. emphyt. n. 19. Dn. Hunn. variar. resol. iur. civ. lib. 3. tract. 7. par. 2. q. 12.
Affirmativam tanquam communiorem & veriorem ample-
ctuntur Dn. lib. 9. comm. c. 14. Gædd. ad l. 219. ff. de V. S. n. 3. Clarissi-
mus Dn. Forsterus in tract. Iust. disp. 10. §. 12. Arum. exerc. 14. §. 14.
Bronch. cent. 1. assert. 80. Texius est in l. 1. C. de fund. patrim. lib. II.

LIII.

Quæ actio ex contractu emphyteutico detur, Dd. admo-
dum variant. Nonnulli actionem præscriptis verbis dari pu-
tant: nonnulli actionem propriam videlicet emphyteutica-
riam dari arbitrantur. Et huic sententiae nos quoque subscri-
bimus Vide Harp. ad §. adeo 3. Inst. de loc. & cond. n. 548. & Dn. Hunn.
variar. resol. iur. civ. lib. 3. tract. 7. par. 2. q. 13.

Corollaria.

I. Venatoris, qui contra edictum principis, cui nulla cer-
ta poena adjecta est, venatur, poena pro ratione circumstantia-
rum esse debet vel pecuniaria vel relegatio vel fustigatio vel a-
lia similis Boc. in tract. de regal. c. 1. n. 72. Si vero in edicto certa
poena est definita, tunc venatori statuta poena est irroganda,
dummodo ea pro prima venatione capitalis non sit, sed vel
pecunia vel carceris vel interdictio bombardarum & armo-
rum aliaque non absimilis Fachin. lib. 1. cont. c. 1. §. tertia conclusio.
Venationem autem iterans non solum in columna famosa
publicè poni & ex provincia relegari; sed etiam fustigatione
aliavè poena corporali coerceri potest. Quod si quis vero
tertia vice adeoque sèpiùs contra principis edictum venati-
bus pertinaciter indulserit atque prorsus incorrigibilis factus
fuerit, ultimo supplicio affici potest Fachin. d. c. 1. §. ult. Harp. ad
§. ser. 12. Inst. de R. D. n. 304. & seqq.

II. Dominus Sylvæ venatoriæ, quæ alteri servitutem ve-
nandi debet, grandes & annosas arbores cumulatim & ma-
gno numero una vice excidere & ad usum suum transferre
non potest Harp. d. l. n. 280. Gail. lib. 2. obs. 67. n. 8. ubi ita quando-
que

que iudicatum esse testatur in causa comitis à Zoldern contra
comitem à Fürstenberg.

III. Venatione simplici & generali seu indefinita concessa omnium ferarum indagatio de jure civili indulta censetur: licet ex hodierna Germaniae consuetudine aliud obtineat

Harp. d.l n. 243.

IV. Prædo & m.f. possessor impensas necessarias deducere potest Harp. ad §. ex diverso 30. Inst. de R.D. n. 20. Hæn. disp. 4. cont. 13. lit. b Don. lib. 20. comm. c. 7. Fachin. lib. 1. cont. c. 54. Bronch. cent. 1. miscell. cont. ass. 39. Dn. Hunn. Variar. resol. jur. civ. lib. 2. tract. 1. q. 22. Cuiat. lib. 10. obs. 1.

V. M.f. possessor utiles impensas tollere potest, non verò deducere Harp. d.l n. 31. Fachin. lib. 1. cont. c. 55. Dn. Hunn. d.l q. 25. Hæn. d. l cent. 14. lit. C.

VI. Præstationes annuæ futuræ præscriptioni non sub-
jacent Fachin. lib. 8. cont. c. 99. Bronch. cent. 4. assert. 5. Myns. cent. 3. obs.
13. Gail. lib. 2. obs. 73. n. 1. Hæn. disp. 6. 8. 15. Matth. Cöler. ad c. audi-
tus 15. X de præscript. n. 12. & seqq. Matth. Berlich.
par. 2. conclus. pract. 4.

F I N I S.



Mittenburg. Diss., 1613/23


ULB Halle
002 673 304

3



Vd 17





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres



DISPUTATIO

De

1619 1 23

LOCATIONE,
CONDUCTIONE ET
EMPHYTEUSI
SEPTIMA.

Quam,

Adspirante Numinis Divini Gratia

Consensu Amplissimi JCTorum ordinis in florentissima
VVittebergensum Academia

PRÆSIDE

BALTHASARE à BRUNNEN.

pro virili tuebitur

BALTHASAR FRIDERICUS Ritter
Nob. Saxo.

Horis & loco consuetis

ad
diem 19. Junij.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ Iohannis Matthæi.

ANNO M. DC. XIX.